

contrahendi matrimonium cum ea, cum qua nunc vult contrahere. Ratio est; quia ut quis spe dispensationis carere debeat, concilium Tridentinum expresse requirit, quod quis inter gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumperit; nequit autem dici scienter inter prohibitos gradus contrahere, qui ignorat gradum prohibitum inter se et sponsam adesse; ergo. Nec refert, si sit ignorantia crassa; siquidem quando lex aut decretum petit aliquid fieri scienter (prout fit in proposito) excusat quavis ignorantia quantumvis crassa; dummodo adsit dolus, ut post Sylvestrum, *ŷ. Ignorantia*, q. 8, dub. 4; Bart. in l. *Si adulterium. prin. ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* et alibi bene advertit Sanchez, loc. cit.

59. *Non sufficit mala fides unius.* — Porro non sufficit unam partem contraxisse vere mala fide, sed requiritur mala fides utriusque ad hoc, ut juxta præfatam dispositionem juris indigni reputentur dispensatione. Hinc si una saltem pars ignara impedimenti bona fide matrimonium contraxit, poterit episcopus (si cætera requisita adsint) cum utraque parte dispensare. Sanchez, loc. cit., nu. 4; Engel, h. t., nu. 11, et alii. Ratio est; quia ista dispensationis incapacitas statuta fuit in pœnam contrahentium mala fide, ibi: « eisdem subjiciatur pœnis; in pœnis autem benignior est interpretatio facienda, » c. *In pœnis de Reg. jur.* in 6. Nam « odia restringi, et favores ampliari, » c. *Odia.* eod. Accedit, « æquum non est, puniri innocentem ob alterius culpam, » arg. c. *Non debet.* eod. in 6, ibi: « Non debet aliquis alterius prægraviari. »

60. *Requiritur insuper, ut præmissæ sint denuntiationes.* — Resp. II. Ut episcopus dispensare pro foro conscientie valeat, necessario etiam requiritur, ut præter bonam fidem matrimonium (si jam contractum est) sit contractum in facie Ecclesie præmissis denuntiationibus. Sanchez, *de Matrim.*, lib. II, disp. 40, nu. 4; Bosco, *de Matrim.*, disp. 12, sect. 13, nu. 149, arg. c. *Cum inhibito. de Clandest.* *Despons.*, ubi pontifex rationem apponit; cum taliter contrahentes (id est sine denuntiationibus, aut clandestine) non expertes scientie, vel saltem affectatores ignorantie videantur. Adhuc clarius *Concil. Trident.* cit. sess. 24. *de Reform. matrim.* cap. v, ibi: « Quod si ignoranter id fecerit; si quidem solemnitates requisitas in matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis. » Ra-

tionem adjungit: « Non enim est dignus, qui Ecclesie benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempserit. Si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, et gratis dispensare poterit. »

61. *Nisi dispensatum fuerit super istis.* — Notandum tamen cum Sanchez, loc. cit., memoratam pœnam contrahentes non afficere, si denuntiationes de licentia vel dispensatione episcopi omittant; quia tunc dici non possunt, præcepta Ecclesie neglexisse, vel temere contempsisse, prout tamen ad pœnam hanc incurrendam concilium Tridentinum requirit.

Cæterum dicitur in utraque conclusione nu. 57. et n. 60. posita: « si jam contractum est matrimonium, » idque ob sequentem quæstionem. Nam.

62. *In valde extraordinario casu potest episcopus super occulto impedimento ante matrimonium dispensare.* — Quæritur V. An semper etiam necessario requiratur, ut matrimonium in facie Ecclesie actu jam sit contractum? Resp. quamvis ad hoc, ut episcopus in foro conscientie super occulto impedimento dispensare valeat, ordinarie requiratur, ut matrimonium in facie Ecclesie bona fide saltem unius actu jam sit contractum, tamen si urgentissima necessitas adesset (quæ non nisi rarissime contingere potest) etiam ante matrimonium contractum dispensare valeretur. Sanchez, *de Matrim.*, lib. II, disp. 40, num. 8, quem sequuntur Pontius, *de Matrim.*, lib. VIII, cap. 1, nu. 6; Bosco, *de Matrim.*, disp. 12, sect. 13, concl. 3, a num. 165; Barbosa, *de Offic. et potest. Episc. allegat.* 35, nu. 5; Gobath, in *Theolog. experiment.*, tr. IX, num. 58; Palao, Reginaldus, Bonacina, Perez, Diana, Tamburinus, Dicastillo, Hurtado, et alii. Prima pars conclusionis ex eo patet, quia super impedimento etiam occulto nunquam dispensare potest episcopus, nisi adsit necessitasurgens, per dicta supra num. 49. atque vix, aut non nisi rarissime contingit casus in quo necessitas ita urgeat, ut matrimonium non possit differri, donec dispensatio Roma veniat; præsertim cum deficientibus aliis differendi causis, et prætextibus, conscius impedimenti facile possit instituere aliquam peregrinationem, vel simulare (non mentiri) aliquam infirmitatem.

63. *Narratur talis casus.* — Altera vero pars licet varie, et fuse a doctoribus citatis probetur, optima tamen videtur probatio, quod rationes supra allatæ n. 15. pro dispensatione post matrimonium militent etiam pro dispensatione ante matrimonium in urgentissimo casu, sicuti consideranti patet in casu, quem ponit Sanchez, loc. cit.; Barbosa, et alii: a g. Desponsati aliqui certum diem jam determinarunt ad solemniter celebrandas nuptias, ad quas omnia etiam jam parata, hospites invitati, vestes nuptiales confectæ, et reliqua omnia ita præparata sunt, ut de nuptiis nemo amplius dubitet: pridie autem sponsus vel sponsa sacramentalem confessionem deponens, primum rescit, quod laborete occulto impedimento dirimente: affinitatis v. g. contractæ perfecta copula carnali prius cum sorore sponsæ habita: in tali casu, si consideratis prudenter considerandis non apparet, quod aliqua via matrimonium sine periculo infamie, scandali, aut maxime confusionis differri potest (prout ordinarie fieri posse non videtur) episcopo ob rationes supra n. 15, allatas, potestatem in foro interno dispensandi omnino competere citati, et communiter alii fatentur doctores quidquid in contrarium dicat Fagnanus in c. *Nimis. de Filiis Presbyt.*

64. *Id etiam procedit in voto.* — Idem a fortiori dicendum, et episcopo potestas dispensandi attribuenda est, si in tali casu sponsus, vel sponsa primum rescit, votum castitatis perpetuum, quod habet, esse impedimentum impediens matrimonium, prout dictum est lib. III, tit. XXXIV, n. 38.

65. *Episcopus concurrentibus conditionibus requisitis potest super quovis impedimento occulto dispensare, super quo potest, et solet Papa dispensare.* — Quæritur VI. An concurrentibus n. 15, allegatis, et præsentibus § declaratis conditionibus possit episcopus super quovis impedimento occulto dispensare pro foro conscientie? Resp. Potest super quovis et solo, super quo potest, et solet dispensare Papa. Engel, lib. IV, tit. XVI, n. 11, et alii. Quod possit super quovis: ratio est; quia de quovis tali militant rationes, et argumenta supra nu. 15, allegata. Quod autem possit super solo: patet, quia nulla ratione præsumi potest, pontificem dare episcopis consensum ad dispensandum super aliquo impedimento, super quo etiam pro foro conscientie per sacram pœnitentiarum ipse dispensare non solet. Nec scitur alicubi vi-

gere consuetudinem tribuentem episcopo potestatem dispensandi super impedimento aliquo, super quo non solet dispensare Papa: consequenter nulla ratione competere videtur episcopo talis potestas.

Notandum tamen, quod licet sine aliqua impedimenta, super quibus potest, et non solet Papa dispensare pro foro externo, tamen vix sit aliquod, in quo potest, et non soleat dispensare Papa pro foro interno per sacram pœnitentiarum, cum per hanc dispensare soleat etiam in primo lineæ rectæ gradu affinitatis contractæ ex copula illicita, v. g. cum matre uxoris suæ; consequenter cum episcopus concurrentibus conditionibus possit juxta dicta, in quo potest, et solet Papa, vixerit aliquod impedimentum, super quo existentibus requisitis conditionibus non possit episcopus dispensare, si super illo dispensare valet Papa.

66. *Hæ conditiones non requiruntur, quando vi privilegii dispensati.* — Quæritur VII. An hactenus recensitæ conditiones requirantur etiam ad dispensandum super impedimentis, super quibus dispensare episcopus valet ex privilegio. Resp. negative. Omnes. Ratio est: quia ad dispensandum super his sufficit quævis rationabilis causa, o<sup>u</sup> quam licite potest, et solet dispensare Papa juxta dicta infra nu. 68. et n. 144. Quænam autem sint causæ rationabiles, ob quas solet Papa dispensare, dicitur § seq. per totum.

## § III.

DE CAUSIS, OB QUAS VALIDE, AC LICITE PONTIFEX, NUNTIUS, ET EPISCOPUS DISPENSARE POSSUNT, ET SOLENT.

67. *Ratio continuationis.* — Cum ex dictis supra num. 5 constet, dispensationem a quocunque fiat, semper illicitam, et sæpe etiam invalidam esse, si absque justa causa fiat, utpote tunc dissipatio potius, quam dispensatio vocanda, merito tunc indagatur de justis dispensandi causis, postquam in præcedentibus jam satis dictum est, quibus dispensandi potestas competat.

Notandum tamen prius, quod, uti ex rubrica, § 1, liquet, hic principaliter agamus de causis, intuitu quarum pontifex jure ordinario, atque ad pontificis imitationem, nuntii vel episcopi ex privilegio vel facultate sibi specialiter concessa, in foro etiam externo dispensare possunt, et solent. Qualliter enim, et ex qua causa jure ordinario

episcopus pro solo foro conscientiae dispensare valeat, abunde actum est in praecedentibus duobus §§ a n. 13.

68. *Causae, ob quas episcopus dispensare valet ex speciali facultate, vel privilegio non sunt confundendae cum causis dispensandi pro solo foro conscientiae jure ordinario.* — Unde ulterius notandum, non esse confundendas causas, ob quas episcopus pro foro etiam externo dispensare potest ex speciali facultate, vel privilegio, cum causis, ob quas jure ordinario, et absque privilegio dispensare valet pro solo foro interno. Enimvero jure ordinario non nisi ex sola causa magna et urgentis necessitatis, certisque concurrentibus conditionibus pro solo foro interno dispensare potest juxta dicta in duobus §§ praecedentibus, praesertim vero num. 19, dum e contra, si ex privilegio in casibus sibi concessis, pro utroque foro dispensare vult, nulla requiritur necessitas, sed sufficit quaevis alia justa, et rationalis causa talis, ob quam pontifex dispensare solet juxta dicenda, n. 144. Hinc licet causa, ob quam episcopus jure ordinario dispensare valet pro foro interno magna videlicet, et urgens necessitas sufficiat, etiam ut ex privilegio in casibus sibi concessis dispensare possit, etiam pro foro externo, non tamen e contra quaevis causa, ob quam dispensare valet ex privilegio, sufficit, ut etiam jure ordinario dispensare queat pro foro interno super impedimentis occultis. Hac distinctione inter dispensationem ex jure ordinario, et ex privilegio episcopis competentem, causaque illarum non bene observata, nonnulli multum fuere confusi. Hoc notato.

69. *Enumerantur in compendio causae, ob quas Papa dispensat. I. Est prerogativa dignitatis regiae, vel vere principalis.* — Queritur I. Quae sint causae, ob quas curia romana dispensare solet? Ante responsionem notandum, solutionem hujus, et sequentium questionum ex praxi potius, et stylo curiae, quam ex jure fieri debere. Hinc etiam responsa a potiori ex auctoribus in curia romana practicis (inter quos celeberrimus est Pyrrhus. Corrad. Item de justis) desumpsimus, ac firmavimus, hoc notato. Resp. Esse plures, praesertim sequentes quindecim: videlicet 1. Prerogativa personae. 2. Conservatio familiae, vel ut bona maneant in eadem familia. 3. Excellentia meritorum. 4. Extinctio litis. 5. Gravis inimicitia. 6. Confirmatio pacis. 7. Evitatio scandali. 8. An-

gustia loci. 9. Defectus dotis. 10. Aetas mulieris. 24 annos excedens. 11. Copula habita. 12. Infamia mulieris. 13. Locus ad littus maris. 14. Matrimonium bona fide contractum. 15. Causa generalis dicta: «ex rationalibus causis seu major taxa pecuniaria.» De quibus singulis nunc in specie.

Prima itaque causa est prerogativa dignitatis regiae, aut vere principalis. Et merito: Tum quia decens est, ut Ecclesia benignam se exhibeat erga principes personas, seu suos defensores, et patronos: Tum quia timendum, ne, si eis dispensatio denegetur, pacem turbent, et bono communi Ecclesiae noceant. Uti post Perez, disp. 43, de *Matrim.*, sect. 5, bene observat Gobath, in *Theolog. experiment.*, tract. 9, num. 604, et alii communiter; ut proin licet respectu harum personarum nulla in specie allegetur, tamen semper adesse censeatur aliqua justa causa, videlicet, vel excellentia meritorum (utpote quae juxta statim dicenda etiam respectu aliarum personarum sufficit) vel conservatio publicae tranquillitatis, consequenter bonum commune. Hinc concilium Trident., dum sess. 24, de *Reform. matrim.*, cap. v, ordinat, ut in secundo gradu nuptiam dispensetur, provide excipit magnos principes.

70. *II. Est conservatio familiae: item ut bona maneant in eadem familia.* — Secunda causa est conservatio familiae, ne defectu haereditis pereat illustris, aut nobilitate praecellens familia. Corrad., in *Praxi dispensat.*, lib. VII, cap. II, num. 199 et alii. Ratio est, quia conservatio talium familiarum facit pro bono communi juxta dicenda infra. Unde ex hac causa pontifex etiam cum sacerdotibus et religiosis dispensat, ut nubere valeant, prout dicitur infra num. 144.

Huc reducunt, imo alii ut distinctam causam adducunt, ut bona intra eandem maneant familiam, quatenus in suo splendore, ac dignitate conservari valeat. Casu praecipue contingit; quando familiae alicujus linea sine masculino haerede decedens, pro haerede relinquit feminam, cujus haereditas ne ad extraneos deveniat, dispensare solet Papa, ut alicui ex eadem familia consanguineo nubere valeat. Idem contingere potest, si quae nobilis instituit haeres hac conditione, ut alicui ex familia sua pro ejusdem conservatione nubat. *Justis in Praxi dispensat.*, lib. III, cap. XIII et XIV; Bosco, de *Matrim.*, disp. 12, sect. 13, num. 226; Henriquez, lib. XII, disp. 13; Gobath, loc. cit., n. 603.

Ratio est, tum quia pro bono communi facit, si magnae familiae conserventur in suo splendore, et opes ejusdem intra eandem remaneant. Sperell. decis. 131, num. 26; Mantic., de *Conject.*, lib. VII, tit. I, n. 45, arg. l. 1, § 13, ff. de *Ventre inspici.* Tum quia illustres familias maxime affligit, si vident bona ejusdem ad extraneos devenire; juxta illud Jerem., cap. v: «Haereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos.» Hinc etiam in antiquo testamento statutum erat, ut femina uni ex propria cognatione nuberet.

71. *III. Est excellentia meritorum.* — Tertia causa est excellentia meritorum in Ecclesiam, ratione insignium laborum, vel periculorum in bello v. g. contra Ecclesiae hostes vel alias propter Ecclesiam exantlatorum. Corrad. lib. VII, cap. II, num. 109; Justis, de *Dispens.* lib. III, cap. XII; Barb., ad *Concil. Trid.*, sess. 24, de *Reform. matrim.*, cap. v, num. 20; Bosco, loc. cit., num. 262; Sanch., de *Matrim.*, lib. VIII, disp. 19, n. 32; Castro Palao, de *Sponsal.*, disp. 4, punct. ult., § 2, arg. *Can. tali*, 17, cau. 1, q. 7, ibi: «Nisi meritorum prerogativa commendet.» Ratio est, tum quia bonum commune exigit, ut pontifex erga tales gratum se exhibeat, quatenus alii moveantur ad similia. Tum quia dignum est, ut tales majorem experiantur benignitatem Ecclesiae. Hinc bene infert Gobath, loc. cit., ex hac causa dispensari cum centurione, qui in bello turcico insigniter se gessit. Exemplum hujusmodi dispensationis affert Pyrrh. Corrad., in *Praxi dispensat.*, lib. VII, cap. II, n. 109.

72. *IV. Extinctio litis de re magni momenti.* — Quarta causa est extinctio litis vigens inter oratores, vel eorum parentes, consanguineos, vel affines super re magni momenti v. g. super hereditate, dote, vel aliis bonis, si cujusmodi lis via matrimonii extingui, aut tolli potest. Just., cit., lib. III, cap. IV; Corrad., in *Praxi dispensat.*, lib. VII, cap. II, a num. 54; Bosco, de *Matrim.*, disp. 12, sect. 13, concl. 2, num. 259 et alii communiter. Ratio est, quia extinctio litium bonum commune promovet, et pro conversatione, ac commercio humano plurimum confert. arg. c. *Dispensatio de Rescript.*, in 6, praesertim cum ex litibus saepe maxima scandala, damna, discordiae, et alia peccata oriantur, quiesque publica turbetur adeo ut propterea etiam jura festinent

finem imponere litibus arg. l. II, c. de *Re judicat.*

73. *V. Gravis inimicitia.* — Quinta causa est gravis inimicitia; haec enim, si per matrimonium tolli, et pax procurari potest, etiam inter privatos sufficientem praebet causam dispensandi. Sanchez, lib. VIII, disp. 19, num. 8; Bosco, loc. cit.; Corrad., loc. cit. a num. 65; Just., de *Dispensat.*, lib. III, cap. 5; Palao, de *Sponsal.*, disp. 4, punct. ult., § 2, num. 2, cum communi aliorum. Ratio est, quia cum ex inimicitia publicum bonum laedatur, l. *Si quis ingenuum*, § in *Civilibus*. ff. de *Captivis*, innumeraque scandala, peccata et alia mala sequantur, omnibus profanis, et sacris Scriptoribus, ipsaque quotidiana experientia testibus aequum est, ut ad eas tollendas pacemque procurandam Papa in jure dispenset, arg. l. *Si inimicitia*, 9, ff. de *His quibus ut indignis*, et c. 2, de *Desponsatione impub.*, ubi bonum pacis pro urgentissima necessitate dispensandi habetur.

Quae autem sint inimicitiae graves, ordinarie relinquitur arbitrio judicis; Jasi. loc. num. 19; Menoch., de *Arbitrar.*, Jud., lib. II, centur. 2, casu 110, num. 3, in specie censetur gravis, quae vel oritur ex atroci injuria, praesertim, si offensus est cupidus vindictae. Tusc. litt. I, concl. 149, vel ex controversia magnae partis honorum, Tusc., loc. cit., n. 8; Just., loc. cit., n. 23.

74. *VI. Confirmatio, vel conservatio pacis.* — Sexta priori vicina, est confirmatio, vel conservatio pacis. Corrad., in *Prax. dispensat.*, lib. VII, cap. II, num. 74; Just., de *Dispensat.*, lib. III, cap. VI; Navarr., Bosco, Sanch. et alii, arg. cit. cap. II, de *Desponsat. Impub.* Ratio est, quia pax civium plurimum conduxit pro bono publico. *Clem. Dudum. de sepult.* Unde intuitu illius merito receditur a jure communi, et conceduntur, quae alias sunt prohibita arg. c. *Nisi essent*, 21, de *Præb.*, et c. *His de Majorit. et Obedient.*, can. *Hoc quippe.*, cau. 3, q. 6. Quae jura non tantum de procuranda, sed etiam confirmanda, conservanda, jam acquisita pace merito intelliguntur. Hinc ille versiculus Gloss., in cit., c. II, de *Desponsat. Impub.*:

Pax ut servetur moderamen juris habetur.

Imo plures doctores tres has causas videlicet «extinctionem litis, inimicitiae deletionem, et confirmationem pacis,» pro una eademque causa reputant, vocantque bonum pacis.

75. VII. *Evitatio scandali.* — Septima, vel potius eadem cum immediate præcedentibus tribus, causa est evitatio scandali (ubi per scandalum intelligitur occasio, causa, vel periculum peccati v. g. inimicitiae, odii, homicidii, incontinentiae, vel alterius cujuscunque gravis peccati), Abb., in c. *Quia circa de Consang.*, numer. 2 et ibi Joan. Andreas, num. 4; Justis, loc. cit. num. 2; Sanchez, loc. cit., num. 9. Nam universaliter etiam propter evitanda scandala a communi jure receditur, arg. c. 2 *de Novi operis nuntiat.*, ibi: « licet opera illa, quæ sine mortali peccato committi non possunt, non sunt pro vitando scandalo dimittenda, nec ea debeant pro scandalo vitando committi, quæ sine peccato mortali committi non possunt; ab his tamen, quæ sine peccato mortali committi possunt, pariter ac dimitti sit pro scandalo tollendo cessandum, et eis etiam pro scandalo vitando insistendum; » ubi Glossa *ŷ. Vitando scandalo* ait: « Nota quod pro aliquo scandalo vitando non debet quis mortale peccatum committere; quia utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur, c. III, *de Reg. jur.*, alias si aliqua possunt fieri, vel omitti sine mortali, detrahendum est juri. » Concordat., c. II, *de Temporib. ordin.*

76. VIII. *Angustia loci: quando censeatur adesse? Feminae sibi ipsis maritum querere non debent.* — Octava causa est angustia loci. Sanchez, lib. VIII, *de Matrim.* disp. 19, num. 12; Palao, *de Sponsal.*, disp. 4, punct. ult., § 2; Bosco, *de Matrim.*, disp. 12, sect. 13, concl. 4, num. 260; Corrad., in *Praxi dispensat.*, lib. VII, cap. II; Justis, lib. III, cap. II, et communis aliorum: ubi per « angustia loci » intelligitur talis locus, in quo puella non invenit sponsum sibi æqualem, vel parem, nisi consanguineum aliquem, vel affinem, consequenter si tali nubere non liceret, deberet manere innupta, vel nubere tali, qui vel statu, conditione, aut divitiis inferior, vel ætate, moribus, genio aut religione dispar esset non enim sola status, generis, aut divitiarum, sed etiam alia ex dictis inæqualitas, constituit angustiam loci. Sanchez, loc. cit., n. 15; Bosco, loc. cit.; Tusc., litt. N., concl. 157, arg. l. *Nuptiæ, c. de Nuptiis*, ibi: « etsi pares sint genere, et moribus, junct. c. super eo. 22, *de Testib. et attest.* » Nec requiritur, ut fiat stricta, et exacta perquisitio, an non aliquis impedimento carens, puellæ ad nubendum æqualis

inveniat in loco, sed sufficit, moralis; imo sufficit, si puella decenter ornata, et quasi exposita ad nubendum, per aliquot annos incedebat, et tamen nullus illam pro sponsa expellit. Justis, *de Dispens.*, lib. I, cap. II, nu. 24; Corrad., loc. cit., cap. V, num. 58; Sanchez, lib. VIII, *de Matrim.*, cap. XIX, nu. 14. Ratio est, quia honestas et pudor puellarum non patitur, quod sibi ipsis viros quærant. can. *Honorantur*, 13, can. 32, q. 2, ibi: « Non est enim virginalis pudoris eligere maritum. »

77. *Angustia loci vim habet, etsi puella in vicinia virum parem inveniret.* — Porro censetur adesse angustia loci, etiamsi in vicinia puella posset habere sibi æqualem non consanguineum. Sanchez, loc. cit. num. 13; Bosco, *de Matrim.*, disp. 12, sect. 13, num. 267; Pontius, *de Matrim.*, lib. VIII, cap. XXI, § 2, num. 22; Justis, loc. cit. num. 70, et alii. Ratio est, quia durissimum est feminis extra proprium oppidum nubere, ut sic patris, et matris, consanguineorum, et amicorum consortio destitutæ acerbam, et quasi solitariam vitam transigant. Accedit declaratio cardinalium ad instantiam archiepiscopi Mediol. data 1770, 18 novemb., ubi expresse ita declaratur: « clausula illa, quia virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis invenire nequit, verificatur, et justificatur per diligentiam duntaxat præstitam in ipso loco mulieris, et non in locis circum vicinis. »

78. *Angustia loci non censetur esse in majoribus civitatibus, proprium episcopum habentibus.* — Major, et a doctoribus minus examinata, summe tamen practica est quæstio, qualis debeat esse locus (qui plerumque oppidum vocatur) ob cujus angustiam dispensatio conceditur. An videlicet debeat esse civitas, urbs, aut saltem insigne, et populosum oppidum; an vero sufficiat, vel potius debeat esse locus magis angustus v. g. parva civitas, commune oppidum, vel pagus. Et quidem Reginaldus, Sanchez, Tannerus, et alii (teste Gobath. in *Theolog. experiment.*, tract. IX, num. 648), loquuntur de sola civitate, urbe, vel loco insigni, aut famoso, oppidove majori, consequenter velle videntur, oppida minoria, et pagos non venire inter loca angusta. Ipse vero Gobath, non tantum majora, sed et minoria loca, ac in specie pagos ad præsens angusta loca intelligit, suamque opinionem de locis minoribus ibidem bene probat; quamvis ejus-

dem, et multo minus aliorum doctorum opinio de locis majoribus non subsistat, uti statim dicitur.

79. Nam respondetur ad difficultatem propositam spectando finem, et mentem legis, regulariter non tantum posse, sed etiam debere esse locum minore, minusque populosum v. g. oppidum non adeo magnum, aut pagum, quando ob angustiam illius, dispensationem impetrare quis vult; adeo ut in civitate, in qua episcopus sedem habet, et ubi sunt plura, quam trecenta focularia *Herd. oder Feuerstatt* angustia loci in ordine ad dispensationem non detur, seu non attendatur. Pirrh. Corrad. in *Praxi dispensat.* lib. VII, cap. V, a num. 40. testans de continua, constanti praxi, et stylo curiæ, qui in loco legis habetur. arg. c. *Ex litteris de Constit. et c. quam gravi, de Crimine falsi*, unde teste eodem Corrad. num. 44, in dispensatione addi solet clausula: « dummodo prætata civitas trecentorum foculariorum numerum non excedat. » Ratio est; quia credibile non videtur, in loco tam amplo, et populoso inveniri angustiam loci.

Confirmat suam opinionem (et bene quoad unam partem) Gobath, loc. cit., praxi Germaniæ, ubi etiam in pagis habitante ex causa angustiae loci passim sollicitant, et obtinent dispensationem.

80. Infertur proin, caute ad præsens legendos esse doctores citatos; executores vero attendere debere ad qualitatem loci hic enim, si est civitas proprium episcopum habens, et ita ampla existens, ut trecentos focularios excedere credatur, vel probetur (qualia loca in nostra diocesi forent [Salisburgum, Passavium, Frisinga, etc.], dispensationis litteras exequi non poterunt; prout amplius Corrad., loc. cit. Dicitur tamen notanter, civitas proprium episcopum habens, quia ad reliquas etsi etiam ampliores civitates proprium episcopum non habentes (quales in nostra diocesi essent monachium Laudishutum, etc.), hæc restrictio non extenditur, consequenter in eis æque aliis minoribus locis angustia attenditur; eo quod tales civitates episcopum non habentes, de stylo curiæ nec reputantur, nec dicantur proprie civitates sed simpliciter oppida, vel oppida civitates nuncupatæ, uti ex notorio stylo cum aliis bene observat, et modo præfato docet Corrad., lib. VII, c. V, n. 45.

81. IX. *Causa est defectus competentis dotis.* — Nona causa est defectus competentis do-

tis; dum nempe femina ve. omnino nullam, vel non competentem habet dotem ad nubendum alicui æquali. Sanchez, *de Matrim.*, lib. VIII, disp. 19, n. 16; Bosco, *de Matrim.*, disp. 12, sect. 13, conclus. 4, n. 261; Corrad., in *Praxi dispensat.* lib. VII, cap. II, n. 21; Justis, *de Dispens.* lib. III, cap. III; Navarr. Pontius, et communis aliorum. Ratio est; quia, nisi in tali casu dispensaretur, femina sæpe innuptæ manere, vel inæquali nubere deberent; quod utrumque bono communi adversatur; cum ex illo pericula incontinentiæ, ex isto autem, inæquali nempe matrimonio infelices passim sequantur exitus. Sanchez, loc. cit.; Corrad., loc. cit., n. 22.

82. *Sive nubere volens; sive alius eam supplere velit.* — Nec refert, an ipse, qui carenti competente dote nubere intendit, dotare velit, an vero alius hac cum conditione, ut cum consanguineo, vel affine, aut aliud impedimentum habente contrahat. Corrad., loc. cit., n. 48, ubi addit, non vitari dispensationis breve, etsi nubere volens in supplicatione asserat, se velle dotare, cum tamen id alius faciat; quia hoc mendacium est circa rem, quæ ad dispensationem nil confert.

83. *Censetur etiam adesse, etsi in loco vicinia parem habere posset virum.* — Porro censetur adesse defectus dotis competentis, etsi hæc sufficeret ad nubendum pari in vicinia, vel alio extraneo loco; dummodo sit insufficiens, seu incompetens ad nubendum pari in proprio loco originis. Sanch., loc. cit., n. 16. Corrad., loc. cit., n. 22 et alii. Ratio est eadem, quæ supra n. 77. Et quadrat etiam huc declaratio cardinalium ibidem allegata.

84. *Sicut etiam, si dos mulieris involuta est litibus.* — Idem censetur, si femina dotem quidem habet, sed litibus involutam, casu quo periculum sit, ne causa cadat; vir autem eam ducere intendens, litem in se suscipere vult, et ratione suæ peritiæ, vel alterius qualitatis utiliter potest. Corrad. loc. cit., n. 59; Sanch., loc. cit., n. 20; Pont., *de Matrim.*, lib. VIII, cap. XXI, n. 23 et alii. Ratio est, quia ad pietatem spectat, femina ita destitutæ subvenire, ne bonorum jacturam patiat. Idem a fortiori dicendum, si lis solo tali matrimonio extinguitur; per dicta supra n. 72. quia subintrat tunc alia dispensandi causa, nempe extinctio litis seu bonum pacis, de quo ibid.